

2149
/ Sacra Caesarea Majestas, et Domine Clementissime. Exulta-
vit prae gaudio cor meum ut audivi foelicissimam electionem Majes-
tatis Vestrae ad Sacrum Romanum Imperium; et eo majus gaudium fu-
it, quo manifestius apparuit Divinam providentiam, ob bonum Sanc-
5 tae Catholicae Ecclesiae, dissipasse, ac fregisse omnia obstacula,
quae invisibiliter daemones infernales, et visibiliter haeretici
politici, ac falsi Christiani invenire potuerunt. Summo Deo, et
Unigenito Filio ejus Jesu Christo Redemptori nostro, et Caelesti
Curiae universae sit sempre gloria et laus, et vestrae Caesareae
10 Majestati concedat idem Caeli Imperator vitam diuturnam, et per-
fectam victoriam ab inimicis, cum dilatatione terreni Imperii,
et augmento meritorum valde excellentium ad regnum caeleste con-
sequendum. Omnibus nobis humillimis Majestatis Vestrae servis gra-
tissimum esset videre te hic Romae coronatum manu Summi Pontifi-
15 cis, qui in terris vices coelestis Imperatoris tenet, cum non in-
digeat Majestas Vestra exercitu armato, ut indigebant alii Impe-
ratores, ob bella, quae cum principibus inimicis habebant. Quia
Majestas sua, veluti alter Titus, vocatus publice, delitiae gene-
ris humani, ab omnibus principibus, et populis Catholicis adeo ex
20 corde diligitur, et expetitur, ut nemo sit, qui nolit tua causa vi-
tam libenter profundere; quem agnoscunt patrem patriae, et Sanc-
tae fidei propugnatorem, ac defensorem acerrimum. Nolo longius
progredi, ne taedio sim Majestati Vestrae; et recordetur me sem-
per fidelissimum, et ex animo servum humilissimum fore. Romae 14
25 Septemb. 1619